

guntur. Ut dicit Experimentator: Eruca transiens per carnem hominis eam inficit et post se pustulas relinquit; et hoc signum veneni, et si non efficacis ad 15 magnum malum.

XX. De engula. Engulas vermis est, qui a re nomen sic habere potest. Ut enim dicit Plinius, animal est, quod caput semper in sanguine habet sugensque continue ita intumescit, quod crepat medius; non enim habet exitum superfluitatis. A quibusdam pediculus silvestris dicitur. Nonnulli vero thecam nominant. 5 In iumentis nunquam gignuntur; in lupis vero et in canibus frequenter.

XXI. De formica. Formicam imitari precipit Salomon, ubi ait: *Vade ad formicam, o piger, et disce sapientiam.* Est itaque vermis mire providus sibi et circa vitam suam sollicitus. Itaque formice, ut dicit Plinius, laborem communicaunt ut apes. Sed apes faciunt cibos, hee condunt. At si quis compareret onera 5 corporibus eorum, fatebitur nullis animalibus portione vires esse maiores. Et in hoc valde laudabilis, que etiam exigua et debilis corpore maiora suis viribus audet, ut dicit Ambrosius. Rationem eis natura dante, semina prius abrosa condunt, ne rursus exeant in frugem e terra; maiora scindunt ad introitum spelunce, madefacta ymbre proferunt semina atque siccant, ne contrahant corruptelam. Novit enim explorare tempora serenitatis. Formica odorat, ut dicit Aristotiles; quod sic probatur: Accipiatur sulphur et origanum agreste et pulverizata ponantur super mansiones earum, et statim fugient et dimittent domos. Formice cessant operari in interlunio semper. Inter cetera animalia hec semper sola senio fortificatur et crescit. Operantur et nocte plena luna; in interlunio cessant. Ergo in opere quis labor, que sedulitas. At certe quoniam ex diverso convehunt onera, certi dies dantur ad recognitionem mutuam: que tunc concursatio earum, quam diligens cum obviis quedam collocutio atque percutatio est. Silices itinere earum attritos videmus et opere semitam factam, scilicet ne quis dubitet, qualiter in re quid possit quantulacumque assiduitas. 20 Efferunt mortuos suos atque sepeliunt, et hoc sole inter omnia animalia faciunt preter hominem.

XXII. De formicoleon. Formicarum leo, qui et mirmicoleon dicitur ab Adelino a mirmin quod est formica et leon quod est leo quasi formicarum leo. Hic vermis est de genere formicarum, sed multo maior. Cum adhuc parvus est et invalidus robore, pacem atque modestiam simulat. At cum acceperit vires, 5 robur ac magnitudinem corporis, despicit consortia pristina et iam maiorum turbam comitatatur. Deinde invalescens audacia delitescit in abditis et exemplo predonum insidiatur formicis laborantibus ad communes usus et ut raptor rapit earum onera aut etiam ipsas formicas iugulat et manducat. In hyeme vero cum sibi formice quasi in horreo collocaverint cibos in terra, mirmicoleon qui sibi nichil in estate ad usum vite paraverat, diripit illarum labores ac destruit. Hoc 10 genus animalium signat ypocritas et dolosos in claustris.

XXIII. De formicis Indie. Formice in India sunt circa montes aureos. Maiores vulpibus sunt, fortes ac seve nimis, pedes quatuor habentes et unguis hamatus in pedibus. Hee bestie tante fortitudinis sunt, ut visos homines discerpant. Alias vero bestias ut equos vel asinos aut tauros de facili non ledunt,
 5 conscie satis quia ab hiis aurum illud, quod in predictis montibus custodiunt contra humanum genus, non auferunt invitis. Ad plectendam ergo temeritatem avaritie ibidem a deo locate sunt bestie. De hiis formicis scribunt Ysidorus et Adelinus. Dicit quoque de hiis Plinius: Illis hyberno tempore conditis, veniunt Indi aurumque furantur. Sed bestie odore sollicitate provolant crebroque
 10 lacerant quamquam in velocibus equis sive camelis fugientes.

XXIV. De limace. Limax testudinis genus est, ut dicit Experimentator, a limo dictus, quia in limo nascitur. Terram comedit. Quatuor habet cornua, sed duo longiora. In rependo cornua extendit, sed quam cito tangitur, cornua retrahit et se ipsam in se flectit. Hyeme latet, vere producitur. Sanguis eius poros claudit
 5 et impedit efficaciter, ne pili crescant. Confracta et contrita in quibusdam vulneribus apostemata sanat.

XXV. De locustis vermbibus. Locusta, ut dicit Gregorius, dicitur quasi loco stans. Caput habet quasi equus formatum. Colore viridis est, habens retro crura longiora. Per campos et dumeta saltat. Parit ova, ut Plinius et Adelinus dicunt, condensa autumpni tempore, que durant tota hyeme. Exitu autem veris
 5 erumpunt fetus forma pusilli sine cruribus pennisque reptantes. Mori matres cum pepererint certum est, vermiculo statim circa fauces eius innascente, qui eas strangulat. Locuste sublate vento in maria aut flumina decidunt. Certum est ab hiis longinqua maria transire continuata plurimorum dierum fame, quod maxime miramur, quod propter externa pabula petere neverunt tam remota
 10 loca. Et quid miri, si propter eterne vite pabula et esuriem verbi dei fideles hoc faciunt? Volant locuste tanto pennarum stridore, ut alie aves esse credantur. Populi autem, ubi a longe venientes spectant, solliciti sunt, ne suas operiant terras. Ubicumque enim dira nube terras contigerint, omnia contacta adurunt et corrodunt. In Cinerea regione lex est ter in anno debellare eas: primo ova,
 15 deinde fetum, postremo adultas. Desertoris penis adjudicatur, qui ab hac lege cessaverit. In Syria militari imperio coguntur accole debellare eas. Parthi ipsas in cibum sumunt. In commissuris scapularum habere quasi dentes dicuntur eosque inter se terendo stridorem edere. Circa solstitium coitus locistarum est. Coeunt marem portante femina. Mares minores sunt feminis. Ut dicit Experimentator,
 20 locuste mutuo se comedunt, et maiores comedunt minores. Locusta os habet ad modum quadranguli dispositum; aculeum habet pro cauda. Crura habet ad se ipsam reflexa. A vento australi generantur locuste, a septentrionali moriuntur et aquilonari. A floribus arborum amigdalarum citius impinguantur. Unicum habet intestinum, sanie et immunditia repletum. Habent et locuste, ut dicit Ambro-
 25 sius, remedium infirmitatis sue; nam folia abrosa lauri eas liberant ab egritudine.